Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2339
Quelle:
Copyright:

duas recipere uicarias. et *Can.* XXXIV. pro *Leccatores seu reprobatos Apostolos* habet *Rectores;* minus quidem recte; interim tamen, quid *Leccatores* sint, *Harzhemius* non explicat. Ego non Scurras et Parasitos a nostro *Lecken* arbitror, qualem enim hi *reprobatam Regulam*, aut *insolitum habitum* sequerentur, quod ait *Canon*, verum Clericos aut Monachos vagabundos, alias *Sarabaitas* dictos, aut *Gyrovagos*, ab antiquato *Läcken*, quod *Cursitare*, *Saltare* significabat.

V. *fol.* 20. *Hec est constitutio, domini Bonifacii pape.* Haud dubie VIII. *Data apud sanctum Petrum VI. Kal. Marcii Pontificatus Anno secundo*, itaque a. 1296. Non inveni in *Bullario* magno. Incipit: *Clericis laycos infestos opido tradit antiquitas, quin et presentium experimenta temporum manifeste declarant — imponunt onera grauia, ipsosque talliant et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum prouentuum uel bonorum dimidiam, decimam uel uicesimam, uel quamuis aliam portionem aut quotam exigunt* &c. Id igitur deinceps et exigentibus et dantibus sub anathemate prohibetur. Mirum hic occurrere voces *Talliare*, *Stagiare*, *Saisire*, quae gallicae potius originis sunt, et in *Cangii Glossario* exponuntur.

VI. *fol.* 21. *Hec sunt constituciones domini Chunradi Archiepiscopi Saltzpurgen.* Editae in Concilio XXVI. a. 1291. numero tantum Tres, et relatae in *Concill. suprac.* p. 139. *Can.* II. ubi *Dalhamius* et etiam *Harzhemius* legunt: *quam extra Salisburgensem — Gaizensem Archidiaconatus extendi ad praesens volumus*, Codex habet fortasse rectius *nolumus*, item *Garzensem*, quod pariter probabilius videtur, sive *Garsium* in *Austria* intelligas, seu scribendum erat *Gurcensem* in *Carinthia.*

VII. *fol.* 22. p. 2. *Constituciones Synodales domini Johannis Episcopi Brixinensis Ecclesie facte anno domini. M°. CCC°. XVII°. In die Othmari.* In *Harzhemii Conciliis* non reperio, et *Reschius* non perduxit *Annales* suos usque ad hoc tempus. *Johannes* hic a. 1319. ad *Bambergensem* atque deinceps ad *Frisinganam* Sedem translatus fuit. *Capitula* V. hic statuta privant ecclesiastica sepultura et suffragiis fidelium eos, qui annos discretionis ingressi de peccatis non fuerint confessi, qui absque confessione in manifesto peccato mortali obierint, qui injuste detinent aut occupant res alienas una cum heredibus consciis, qui usuras exercent qui in excommunicatione majori decesserint. Eorum promulgationi per singulos annos adsignantur Dominicae tres ante Festum OO. SS. tres ante Nat. Domini et tres in Quadragesima. Initium est: *Nos Johannes* &c. *Ne pretextu ignorantie quisquam subditorum nostrorum uelamen excusationis assumat* &c.

VIII. *fol.* eod. *Illustri domine* &c. *Frater thomas de Aquino ordinis*